

# BENEVOLO LECTORI.



**M** inter illos, qui in elementa Euclidis desudarunt, nullum intuear, vnico confarcinare volumine, quæ ad quantitatem sub genere inuestigandam faciunt, secutus sæculi genium, quod centuriat, vt plurimum, & florilegia condit, putavi nequaquam me frugem perdere; si huic muneri vniuersalius inferuirem, & Mathematica rerum exordia ex omni parte rotunda, & contornata exhiberem. Siquidem ex meo labore didici, cuius pretij, cuius vtilitatis id operis emergat; quod ea omnia, quæ Mathematicas luces, & euidencias in vnicum lucis fontem, adeoq; solem nedum tumultuaria collectione aglomeret: sed etiam ordinato agmine disponat, in seriesq; suas naturali consecutione distinguat præcipuè illis, qui nullo Mercurio tramitis indice, aut duce audent se huic studio consignare, & admodum difficilem prouinciam in suam sarcinam traducere. Pone enim me tibi offerre pulcherrimam, eamq; vtilissimam demonstrationem, quæ tamen, aut Pergæi, aut Archimedis, aut Pappi rarissimos libros ad sui euidenciam exposcat, quos, aut nunquam perlustraueris, aut ne quidem consequi te posse fidas: quam hauries lucem, aut quam scientiam adipisceris? aut potius quibus tenebris, qua caligine non confuderis? Ideoq; cum tota Mathematica sit alligata in vnumq; corpus naturali lege deuincta: quod diuidi non patiatur sine totius detrimento, si quis totum non colligat, nihil colligit, & frugiperda nixu monstrum nulla euidencia animatum in malè destinatos trahit amplexus.

Scio quidem Herigonium Parisijs, & Schotum in Belgio cursus Mathematicos eruditissimos cudisse: sed hic ostensiones sapius solis operibus occupatus ex industria præterit, ille multis libris diuersoq; tempore editis, vt rarus sit ille, qui in suum commodum congerere possit, institutum prosequutus est. Quamobrem cum nullus in Italia huic locubrationi se dederit, & exteri, aut nullatenus obtineri; aut non sine magno pretio negotioq; à suo cælo in nostras regiones peregrinari cogantur; non ingratum reipublicæ literariæ fore suspicatus sum; si illud laboris, quod meis priuatis profectibus desudaram, publici iuris facerem: Maxime quia in illud, quod omnes huius rei scriptores posthabuerunt, præcipuè animum fixi; vt propositiones ne dum in seriem, quoad earum, vt assolet, deriuationem, sed etiam quoad doctrinæ dignitatem, rerumq; naturalem sedem digererem: & à superfluis, & quæ nullius vtilitatis erant expiarem: nullas aduenas rogarem assertiones in veritatis vadimonium; doctrinam in se se redeuntem, sibiq; ipsi famulam ab omni alieno iure absoluerem, vt qui legit nihil aliud ad perfectum captum desideret, quæ omnia non sine eluctamento obtinui. Odopæium me præstiti; nullisq; parcens verbis, aut figuris, amfractus, alioquin senticosos, petricososq; ab omni offendiculo immunes in vias veluti consulares aperui: Et ne aliquis subrostrarius mihi obmurmuret, in fastidiumq; versus torcularibus incassum defatigatis misereatur; non omnia ex pœnu rurido antiquitatis prolata; lapidem, & nos protulimus, & antiquos Mathesis limites aliquantum submouimus. Herculeos enim terminos præterlabenti ingenio nouæ doctrinarum regiones, illæq; feraces, & vtilis detectæ Multæ ostensiones, aut quod nullæ extabant, aut quod proniores exoptarentur instructæ; quidam tractatus denuò magna ex parte adornati, aliqui ex integro conditi, paucis non additum. Quæ omnia asterismis prænotauit, aut saltem plurima (in paucis enim ex incuria prætermisum) Scilicet ne videar alienis pennis amici-